

rent, ut ab eo abhorrere videantur, aut quod aliis crimini dant, sibi ipsis indulgeant.

AD CENSURAM CAPITIS XXIV.

De Disciplina Ecclesiastica.

IN hac de disciplina Ecclesiastica declaratione plurima, inquit Censor, recte dicuntur: *Paucula vero sunt quæ requiramus*: Bene habet: Paucula ista digna sunt quæ vindicentur: Nec enim levia sunt, nec exigui usus, quamquam jam ante sæpius observata sunt & quorsum tendant, non semel inculcatum.

Ac primo quidem, inquit, *quod Sectione iij. & iv. in explicatione causarum exercenda discipline in pastores presbiterosq; Ecclesie, & auditores seu oves, delectentur tantopere consueti sibi loquendi ratione, Legum & præceptorum Jesu Christi, quasi Christus novus quidam Legislatoresset juxta Patrem suum*. Fatentur Remonstrantes delectari se ista loquendi ratione, non quia hunc aut illum autorem sapit, nedum quia eam a Socino mutuati sunt, sed quia Dei & Scripturæ phrasis est, & quia Religionis totius corculum ac medulla est. Nihil æque necessarium esse credunt, quam ut credatur, Christum Novæ legislatoresse, non juxta Patrem, ut inepte Censor loquitur, sed nomine Patris sui, a quo missus fuit, ut non suam sed ut ipsius voluntatem humano generi annunciaret, uti Joa: 6. & variis in locis apertissime legitur. Nisi hoc serio inculcetur & firmiter credatur, præcipua salutaris veritas ut percipiatur impossibile est. Nec periculosior est doctrina ulla, quam quæ veritatem istam aut obscurare studet aut evertere. Quare suspectissimum videri piis omnibus debet, quod ad lapidem hunc pæne ubiq; seu data seu captata occasione, Censores hæreant, tanquam si ægerrimum ipsis sit veritatem istam urgeri & inculcari. Vix certius ullum indicium fieri potest, quod persuasum habeant, doctrinæ ipsorum principalis ac fundamentalis, de Prædestinatione absoluta, arcem ab isto ariete maxime labefactari ac tantum non suppeditari. Enimvero quid absolutæ Prædestinationi cum Legibus & præceptis, promissionibus ac comminationibus &c. commune est? Palpari utraq; manu potest, ista adversis inter se frontibus pugnare, & quicquid istis conciliandis adhibetur, nil nisi fucum ac Sophistarum præstigias esse. Quo magis ad laborandum Remon-

Defenditur
consueti lo-
quendi ratio,
quam hic Cen-
sor impuden-
ter taxat,

Legum &
præceptorum
Jesu Christi.

S f f

strantibus